



**Pauli Schutzii Oratio funebris in obitum excellentis: memoriae
illusterrissimi & celsissimi herois Frederici Henrici,
gloriosissimi Arausisionensium principis & confoederati Belgii
terra marique imperatoris.**

<https://hdl.handle.net/1874/319739>

ge
PAULI SCHUTZII
ORATIO FUNEBRIS

L

In obitum Excellentis: memoriae

ILLVSTRISSIMI & CELSISSIMI
HEROIS

FREDERICI HENRICI

Gloriosissimi Arausio[n]ensium Prin-
cipis & confederati Belgii terra marique
Imperatoris.



LEIDAE.

Apud WILHELMUM CHRISTIANUM
Boxium. A°. 1647.

40

PAULVS SCHVTH
OBITUARIS

civitatem : signumque mundo al-

**NOBILISSIMIS & AMPLISSLIMIS
DOMINIS**

D. C O N S U L I B V S

Inclytæ Vrbis VLTRAIECTI

Amplissimi viri

Offero vobis hic Principem, cuius exequias universa Respublica in Batava Majorem Virum Europa non habet; & Fœderatum Bgium ut miracula edit, ita Heroem genuit, in quo Domini & Militia Virtus & Fortuna vires expertæ, gloriam Batavorum extendunt ad æternitatem. Quicquid habui, quicquid potui, ad ipsius tumulum attuli, vobis consecro; omnibus vestris conatibus propitium Numen appræcatu-

Vest. Nomin.

Devotus

PAULVS SCHVTH



.1619.

MUNIBUS LIBRARII MUNICIPALIS
LIBRARY MARK

ORATIO FUNEBRIS,

In obitum Illustrissimi & Invicti Principis Excel. memorie

FREDERICI HENRICI

Principis Auriaci, Comitis Nassoviæ, &c. Foederati
Belgii terrâ marique Imperatoris.



Uotiescunque vitam illius animalis, cui homini fecere nomen, & ipsius luctas, casus, sequentemque illos mortem intucor, Auditores, nihil gravius à summo Propheta dici potuisse existimaverim, quam quod hominum vita, cum pretiosa fuit, misera sit atque calamitosa. Profecto Tragædia vita est, & ipse orbis Theatrum, in quo omnes ludimus mortales. Quos eo respectu umbræ somnia Pindarus; occasiones miseriarum Philemon; simulacra Sophocles; calamitates Herodotus; folia caduca Homerus appellavit. Nascentes quippe fletu mundum salutant; breve vivendi tempus habent, ex quo fidejussor mortis & quasi anteambulo somnus, tanquam publicanus, magnum accipit vectigal. Nihil certius in reliquo ex pectant quam mortem: quæ tuguria pauperum, & Regum palatia, nullo habito discrimine, pulsat; & Alexandrum, cui orbis non sufficerat in angustum & sex pedes longum contrudit domicilium. Hanc fatalem moriendi necessitatem experiri nunc quoque debuit Illustrissimus Auriacus Princeps FREDERICUS HENRICUS, suavitas & delitiæ Hominum, Observator Virtutis, invictus domi & militiæ Heros, terror hostium, & inaccessarum rupium expugnator. Qui factis suis hoc meritus erat, ut omnes boni ad Pacem, quam Christiano orbi evicisse videtur, feliciter fruendam, aut longam illi, aut sempiternam apprarentur vitam. Lugent mortem tanti Principis non solum magnæ Reib. Patres, & Bataviæ incola, sed luget Gallus, Germanus, Anglus, Danus, Suecus, Polonus, & ipse, si quid mihi creditis, Virtutum, quæ in illo fuerunt, æstimator Hispanus. Neque

A

que

que Europæ terminis se includere potest moestitia publica, sed super-
volitat Hellepontum, & ad Nilum, Tygrim, & Euphratem, ad Gan-
gem & Indum inveniet, qui Auriaco funeri lachrymis & suspiris pa-
rentabunt. Ego quidem, dum cæteri magnifico illum prosequuntur
honore, nihil aliud possim, quam ut de ipsius laudibus dicam ; non
tamen eò temeritatis prolapsus, ut putarem, quod pro dignitate hoc
assequi possem. Quemadmodum enim hæc Respublica tanquam
plena Luna supra tempestates & adlatrantes hostium minas posita,
omnes mundi angulos suo compleat splendore ; ita hanc cæteris pal-
mam præcipuit, quod Principem habuerit, cuius laudes nunquam ver-
bis expriment splendidissimi Oratores. Cæterum hoc utique cogitavi
licitum esse, ut, dum magni & Erudit Viri Balsamo & thure litant, e-
go paululum Cupressi adferrem, cum ad tumulum Achillis non solum
Alexandri, sed etiam tyro miles potuerit sacrificare. Ab ipso igitur
genere tanti Principis ut ordiar usus postulat ; sed hic mihi observan-
dum puto, ne primum in Laudibus ipsius ponam, quod ut ipsi conve-
nit, ita tamen aliorum est, ac ipsi cum aliis commune. Poëtae & Ve-
teres Oratores modum excessuri, Heroum, quos laudabant, originem
ad coelum dedicunt & Deos fabulosos. Neque Domitores orbis pu-
duit matres malle habere adulteras, quam legitimos in terris Patres.
Si quis in antiquitatem, qua magna Principis prosapia laborat, curio-
sius inquirere vellet, idem esset aeturus, quod illi, qui Regis fluvio-
rum Nili longitudinem, latitudinem, profunditatem, fragorem, fœ-
cunditatem & cursum cum norunt, fontem illius anxiè, sed frustra
querunt. Domus Nassovia, quæ Reges dedit & Imperatores, non
Oratorum verbis aut æneis, & rubigine peritulis scitis, non creditis
fastigii, diuturnitate collapsuri, columnis, sed propagatricibus ma-
gnarum actionum historiis gloriam debet illam, quam habet, &
quam terminabit cum coelo. Et si ignobilis fuisset, hoc solo immo-
dicam assequuta fuisset gloriam, quod Guilielmum genuerit, Patrem
Bataviæ, Imaginem clementiæ, & murum libertatis. Cujus cogita-
tiones cum terror Europæ Philippus, & cum ipso Oriens, & Occi-
dens tremeret, nihil divinius restabat, quam ut incomparabile Filio-
rum par Mauricius & Fredericus tanquam aliquod Castoris ac Pol-
licis sydus darentur orbi terrarum. Frederico fata Hollandiam Pa-

triæ

triam esse voluerunt, ut in illa tanquam supra libertatis arce spiritus illos cum aere traheret, quibus volitantem per terras & marias Hispanorum sisteret furorem. Eant ad Apollinem suum Delphi Graecorum, & ipsius tempestatibus ab urbe sua aversum esse praedatorem Persarum exercitum dicant, ac ex vanis Oraculis multis verborum ampullis suam asserant dignitatem. Delphi Hollandorum adversus cruentos, & non tam stipendiis, quam bonorum sanguine & cædibus nutritos Iberos invicti, intrepidi streterunt fulmine & tonitru non Graeci, sed Nassovii Apollinis Guilielmi; qui amorem & prudentiam suæ Oracula in tribuenda illis filii nativitate obsignavit, ut illi inter florentissimas surgentis Reip. urbes hujus Herois ortum sibi adscribere possent. Cum inter ubera nutricis suæ parvulus Infans versaretur, in Patris sanguine cum patrio natavit solo. Inter Christianos quoque vivunt, Auditores, formidabiles Darii, & dissimulantes Tiberii, qui, cum virtute non audent, scelerato auro & abstrusis obscuritate callidorum consiliorum technis strenuorum virorum licitantur capita. Fraus empti unius sicarii filio, cum nondum tenellos pedes, & lubrica poplitum regere posset internodia, eripuit optimum Patrem, quem tot pericula, tot proelia, tot exercitus frangere non potuerant. In fonte antiquitatum & divino Promicondo Plutarcho populator Italæ Marius oculis terruisse dicitur militem, qui vaginâ diduxeratensem. Et Parricida Matris ac Praeceptorum, Incendiarius Patriæ, fossa vitiorum & cloaca, Citharoëdus & auriga Nero, cum mendicaret mortem, non invenit percussorem. Restaurator libertatis, & Bataviæ Brutus, Guilielmus claro die lethalem nebulonis iustum evitare non potuit in suorum conspectu. Ita orbatus est Patre Infans Fredericus Henricus, vagiens tunc temporis in cunis; quas non foedè plorans Mars, sed Gradivus, & sceleratae cædis ulti, ac venturarum Virtutum genii circumsistebant. Itaque cum ad illam ætatis partem venit, quæ disciplinæ & rerum ad magnates pertinentium capax est, Leidam venit ad Musarum Parnassum, & domicilium, quò Princeps Europæ Iuventus confluit, ut in officina poliatur doctissimorum Virorum. Inter alios ille exquisitissimo Literaturæ Vindice Lipsio usus est, cuius nomen nemo ignorare potest, nisi qui ipsis Musis peregrinus est ac hospes. Hoc duce veterem Romanorum militiam in yerissimâ divi-

næ erga homines benignitatis obside & prudentiæ metropoli quæsivit. Habent hanc prærogativam a natura plerumque illi, qui excellent reliquos mortales, ut in flore ætatis indicia dent venturæ magnitudinis. Alexander de bellis, cum puer esset, & sublimibus rebus agebat; solusque non patientem sessoris Bucephalum concendere poterat. Cyrus inter ludentes rusticorum filios regio sanguine incalcescebat. Cato vindices publicæ libertatis spiritus conceperat, cum a Pædagogo gladium posceret, quo Syllam transverberaret. Frederici Henrici animus alta & gloria volvebat: & sicuti stellæ cum orbe suo moventur; ita ille cum in fortium Græcorum & Romanorum incideret facinora, non tam legere, quam agere videbatur. Cum Temistocle in mari, cum Lysandro in terra, cum Leonida in Thermopylis, cum Alexandro in Mesopotamiæ proeliabatur campis. Natabat cum Coclite, cunctabatur cum Fabio, stabat promissis cum Appio, & cum Fabricio justiciam colebat. Trajiciebat in Africam cum Scipione, currebat in Hispaniam adversus Sertorium, in Asiam adversus Mithridatem cum Pompejo, & cum Cæsare per terrarum orbem volitabat. Cæterum libris non solum se tradere possunt magni Viri, sed natura hoc illis concedit, ut multa & divina complectantur animo, cum se abdunt in templum bonæ mentis. In hoc Lycurgus ab Apolline, Minos a Iove, Numa ab Egeria, Pindarus a Pane, Meleagoras a Nymphis suam hauserunt sapientiam. Principes ad nobiles properant actiones, ad quas exsequendas coelum illis inspirat prudentiam; reliquæ autem in scholis sapientiæ modum, ut Tacitus in Agricola ait, necesse est teneant. Itaque Princeps noster deinde corpus ad militiæ patientiam præparavit, equum in gyrum agendo, sclopetos explodendo, & Athleticam artem excercendo; imitatus Pompejum, qui cum celeribus cursu, cum alacribus saltu, cum robustis veste contendebat. Cumque in Mathematicis egregia posuisset fundamenta, castra metandi, vallum ponendi, urbes cingendi artes, & expugnandi rationes in campus ad vivum sibi demonstrabat. Ita instructus ad castra venit celsissimi Fratris, cuius fortitudo & splendor terrarum fines excedebat. Hoc Duce elementa militiæ & sequituræ Felicitatis occupabat præludia. Si pericula, si egregia facinora, velitationes cum hostibus enumerare vellem, multa mihi forent dicenda.

Memo-

Memorabile illud proelium, quod ad Nieportam commissum est, præterire non possum. Inclusus erat ab hostibus Mauricius, & ad redditum aut fugam solum mare patebat. Sed nihil minus quam id cogitavit invictus Imperator. Naves recedere jussit, ut militi non in pedibus, sed lacertis esset praesidium. Si tamen cadendum esset pro Patria, Fredericum Fratrem rogabat, ut ad Reip. solatum se subtrahere vellet periculis. Sed pericula, & expectatio fomes erat Virtutis, quæ juvenem Principem non ad abitum, sed ad proelium accedebant. In illa pugna multus fuit; & cum utrumque sanguine & cædibus furerent enses, validè pugnando effectum est, ut cæderetur hostis. Ita fratrem deinde comitatus est ubique, aut etiam, eo jubente, solus adversus hostes exivit. Cumque deinde Virtus & fortuna Mauricii coëgissent Hispanum, ut inducias pacisceretur, Martis campus Cliviæ Ducatus factus est, in quo ad magna natus Fredericus, præeunte Fratre, lusum exercebat & belli palæstram. Neque hic fata subsistebant, sed post multa rerum discrimina plus ultra cum illo tendebant. Ex arserat belli tempestas intra Ferdinandum II. & optimum Bohemiæ Regem Fredericum. Missus ille a Patribus est ad hujus auxilium. Superabat Rehnum per medios hostes cum Equitatu, iterque capessebat eodem animo, quo olim Germanicus victrices per eadem loca aquilas duxerat. Cumque Cæsareos non virtute, sed fortuna & turbulentis sociorum consiliis superiores fore cerneret, admirantibus amicis & inimicis, & fremente invidia in patriam redibat cum suis salvus atque incolmis. Post terminatas inducias multa belli ipsum nobilitabant exercitia, donec inter mortales esse desit Fœderati Belgii Hercules Mauritius, in cuius fortitudinem non Graji, sed Europæ Reges & Principes ut in scopum collimaverant oculos atque cogitationes. Ita Patres imminentibus periculis opponunt communibus suffragiis Fredericum Henricum terra mariq; Fratris successorem. Admirabiles, imo stupendas nunc aggredior res Auditores; sed ex illis pauca tantum commemoranda feligam, ut imitaturus fuisse videar Pictores, qui cum totum, quod depingere cupiunt, in tabulam transferre nequeunt, partes aliquando adumbrant. Grolla munitissimum & arte & situ est oppidum in Comitatu Zutphanensi, quod tunc temporis Hispani suo occupatum tenebant praesidio. Hoc Princeps in

felix rerum auspiciū obsidione cīxit; fortissimē hostes laceſſere
orsus, cum ſcīt ex initīis famam dependere, & nominis ſplendorem.
Ibat obviam generoſis conatibus Hentīcus Comes Bergensis, Vir
consilio & manu acerriſmus, Regi que ſuo bene cupiens, quanquam
poſtea turpem Hispanorum ingratitudinem, quā plerūque exteris
ſolvunt, expertus fuit. Hie primum ad terrorem exercitū circum-
ducere, tentare Principis animū, interdum cohortes ad velitatio-
nes immittere. Cum videret animū Nafſovii, aduersus hos flu-
etus excelsæ cujusdam rupis in mari instar eſſe immobilem, vi erupti-
rurus ad urbem, universum exercitū in caſtrorum vallum effundit.
Instabant dēſis agminibus Hispani, propulsabant illos animoſe Ba-
tavi; & his pro libertate, illis pro Regi ſui ambitione certantibus
pallida mors in campis ſæviebat. Tandem receptui cecinit Bergen-
ſis, ſuosque properè ex illis removit campis, quos fatales eſſe animad-
verterat, ut Princeps Auriacus prima in illis victoriæ statueret tro-
phoca. Deditur mox urbs Victori, qui Hagam reverſus, lāticia &
votis excipitur publicis, & privatis. Hinc majora moliturus, aggredi
cupiebat illam urbem, quam inexpugnabilem eſſe crediderant morta-
les. Sylva Ducis eſt, quam puto, Sylva Ducis, inquam, Auditores,
quæ firmissimis coronata munimentis, aquis circumfunditur & va-
dis, quibus in stagnorum faciem circumiecti occupantur campi. Ipsi
obſeffa ſæpius nil niſi cædes & vulnera loquebatur; tentata ab ipſo
militiæ Magistro Mauricio, proverbium illis fecerat, qui minùs fave-
bant foederatis, ut cum aliquid in poſſibile innuere vellent, dicerent
hoc fore, cum Sylva Ducis in Batavorum veniret potestatem. Parvi
hæc ducebat Nafſoviſ, qui nihil tam altè a natura constitui crede-
bat, quo Virtus non poſſet eniti. Caſtra metatur ad urbem, vallum
circumdati jubet, ad omnia intrepidus, cum milites obſtupeſſerent,
ad pericula & aquas, quas pavide intuebantur. Muſabat invicem
cædendas eſſe Sylvas, complanandos montes, & advehendos, ut his
ingefſis undas explerent, & vadōrum hiatus. Ipſe Gravendonckius
Impiger militiæ homo, & ob ſuas virtutes tantæ urbis præfectus,
exercitū Fœderatorum Ordinum credebat in campis errare ad ſuī
oſtentationem. Disponebantur, iubente Princepe, molæ, exſiccandis
campis excoſitatae: & brevi (orem admirabilem! quis crede-
ret

ret Auditores?) illa stagna & fluvii, qui urbem incinixerant, Batavorum circumdabant castra. Jactant sua immodece Græculi; sed si quis unquam ejusmodi in Græcia edidisset miracula, quid non de illo ingeniissimi homines scripsissent? Balistæ, Scorpiones, arietes, catapultæ, crates, fambucæ, plutei & vineæ Romanorum in nostra militia nihil usus habent. Aliis machinis utimur; alias inveniunt Batavi, alios struunt aggeres, neque turrem admovent, sed in terræ visceribus appropinquant. Et profecto non tam facilis hodie ad urbes vincendas datur accessus; tormentis quippe nostris tonitrua imitamur & fulmina mortales. Neque molæ ejiciebant solum aquas, sed cœlum ipsum gloriæ Auriaci Nominis pugnabat. Israëlitarum Princeps Iosua inter præariantum ardorem jussu suo Solis inhibuit cursum. Princeps Auriacus votis impetravit, ut Sol dispelleret nubes pluviasque, & tota æstate ureret campos. Ita cum omnia ex animi procederent sententia, advolat cum excercitu Henricus Bergensis; anxiæ urbi opem latus. Sed ad irritum revolvebantur ipsius conatus, nihilque præter suorum vulnera abstulit & cædes. Tunc gravioribus habitis consiliis, & advocato Imperatoris excercitu, Rhenum & Drusi fossam transmittunt Hispani, bellumque evomunt in medios Velaviae agros; imitaturi Siciliæ Regem, qui cum Syracusas a Pœnis vindicare non posset, prædatrices copias incredibili animi ausu ducebant in Africam. Fiducia & bono successu læti occupaverant Amersfordiam; & inter inermium rusticorum trepidationes, mulierum planctus, puerorum ejulatus, de illis, quæ nondum habebant, triumphabant cogitationibus, cum jam non solum Sylvam Ducis liberatum iri, sed Bataviam omnem in terrore esse, & multa splendide fieri posse cogitarent. Sed quò vos pallida dicit & jejuna ambitio mei Hispani? ponite cogitationibus vestris modum, & credite, non terrefieri illos animos, quibus libertas potior est ipsa vitæ. Cum populator nationum Xerxes mare constringeret compedibus, & deduceret montes, Græci ipsi alios opponebant montes, id est, suas virtutes. Cum spirans Achillis sanguinem Pyrhus primordia laces seret Romæ, obviam ibant Romani. Cum feroce victoriis Galli in media grassarentur urbe, Capitolium defendebant Romani. Cum immersus nubibus Alpium Hannibal in Italiam hostilem effunderet aciem, cum tot millia suorum ad Can-

nas cecidissent, cum infensa signa in conspectu essent urbis non despe-
rabant Romani. Pericula non terrebant, sed inflammabant popu-
lum Martis. Hispanis res est cum gente Batava, Auditores, neque
Græcis, neque Romanis, si fortitudinem spectamus, inferiori. Hæc
est illa gens, quæ tormenta, virgas, cricem, famem, pestem, & quic-
quid Harpyæ, Diræ, Furiæ excogitare possunt, invicto tuit animo pro
Libertate. Hæc est illa gens, quæ, deficiente terrâ, cadavera pro val-
lo habet, suisque hostibus, cum vincitur, non urbes relinquit, sed effos-
fas speluncas atq; sepulcra. Hæc est illa gens, quæ, invito Patre Oceano,
quacunque cœlum patet, & sol vagatur, ultra Hereulis columnas,
ultra hominum metas proiecta, gentibus ignotis, & alio sole infectis
suam probat libertatem. Hæc est illa gens, quæ in glacie & nive ho-
spitata, ubi homines esse desinunt, cum frigore ardent, & immani-
bus bestiis de sua disputat libertate. Hæc gens non poterat terrefieri
in illo motu: & exercitus Batavi Imperator suâ inclusus atque invo-
lutus virtute non solvebat obsidionem, sed urbi eò fervidius immine-
bat. Cæterum traxi divinitatis animus tot spatia locorum, tanta
maria, tot fluvios, totum denique orbem puncti instar capiens, spatio
corporis & castrorum non poterat terminari. Vigilabat ille ubique,
& cum Sylvæ Ducis videretur intentus, circa Wæsaliam hostium tunc
temporis asylum nobili versabatur cogitatione. Egregia urbs, & li-
bertatis studiosa tempestâ nocte capitur, & illi terrarum orbis candi-
dati, simul ac hostes Hispani, terrore, quem aliis incutere volebant,
confusi, abjectis impedimentis, turpi se surripiunt fugâ. Traheban-
tur tunc ad castra Burgundicæ eruces, & aquilæ, quæ vallo ad urbem
obverso infixæ, ob sessilis pulcherrimam Principis victoriam depinge-
bant. Stabat ad anchoram religata Prætoria navis, ex cuius, ut & re-
liquæ classis antemnis testes publicæ Victoriae collucebant ignes. Ius-
sus in ordines suos ire miles Lætitiam & Triumphum sclopetis cane-
bat. Explodebant tormenta; & in urbe fragor corruentium te-
ctorum, & repercussus globulorum sonitus *VVæsaliam*, *VVæsaliam*
captam esse intonabant. Concidit posthæc animo Gravendonckius,
qui ad ultimum boni militis officio defunctus, urbem tradidit Victo-
ri, cuius laudes & tantos in hâc obsidione successus Europa loquebatur.
Hæc Victoria ut immodicè dolebat Iberis, ita nobilem capeſſendi
vin-

vindictam ardore accensi, concenderunt Antwerwiæ naves, quibus Zelandiæ circumvehebantur littora. Sed profligati, submersi aut capti sunt ferme omnes ad Insulam Tolam, ubi suâ ruinâ novas Nas- sovio capiti imposuerunt laureas. Multa sunt, quæ dixi; majora su- persunt; sed quis est, qui omnes casus, & continuatam felicitatis se- riem exiguae molis oratione posset complecti? Ad Mosam tamen Victorem sequor, ad quam ille torrentis fluvii instar vagatus, uno impetu Arsam, Stralam, Venloam, & Roermundam expugnavit. Quarum ultimam belli decus Ernestus, Frisiæ Gubernator, fortiter pro Patriâ dimicans suâ morte nobilitavit. Missus eadem tempestate in Flandriam Inclytus armis Guilielmus Nassovius, brevi temporis spatio hostibus eripuit munitum Crucis, Iacobi, Ambrosii, Ho- gerwerffam & Polderam Namæ. Tanto rerum gavisus successu Au- riacus, victorem exercitum Trajecto ad Mosam admovit. Sedebat ad castra, quibus urbs circumvallata erat, Crosius Hispanus, nihil tentare ausus, ac territus exemplis illorum, qui suorum clade didice- rant, castra Batavorum scopuli cujusdam instar esse, in quem si ven- tis acta impelluntur navigia, non lædunt, sed ipsa pessimum patiuntur naufragium. Advocatus igitur est ex Germania Papenheimius, magnus bellator, quo ducem Ferdinandus II. non habuit majorem. Columnen erat & Tybicen gloriæ Imperatoriaæ; in fervidissimis proœ- liis non Imperatoris magis quam militis exequi munia, & suas cic- trices ut virtutis notas ostendere solitus. Ingens animi, successibus ad fastidium felix, & dignus ut tanquam Hector cum Batavorum con- grederetur Achille. Neque hic aliquis mirabitur, quod Papenheimii laudes ad cœlum efferam. Eò spendidior Principis Auriaci oritur gloria, quò majores habuerit hostes. Magni quippe animi non cum effeminitatis, sed viris & sui similibus manus conserere cupiunt. Æ- næas, ut celebris esset, Turnum adoritur: & cum armis & nobili co- natu Indorum Rex Porus conspicuus esset in littore, tum primum Alex- ander se prædicavit felicem; admodum gavisus, quod in fortissi- mos, & suæ virtuti pares incidisset viros. Profectò ut ille Porus non- dum expertus hostium vires, neminem se cogitabat esse majorem: ita Papenheimius sui nominis terrore hostes ad fugam compulsum iri credens, itendidem in itinere rogitabat,, num adhuc ad Trajectum

moraretur Auriacus Princeps. Sed vidit illum intrepidè expectan-
tem; idque miratus castra in conspectu ipsius locavit. Video nunc
formidabilem rerum faciem Auditores. Video fatales illos campos,
in quibus Leo Belgicus sinistrâ septem tela, dextrâ gladium corrusca-
bat aduersus Aquilas Romanas. quæ ut olim rectis oculis atque in-
connivis Solem intuebantur, ita nunc & vultum & animum demit-
tebant. Video Crosium Hispanum aleâ ludendem in castris, cum
ad belli lusum parum animi esset. Video obsecros, qui procurrunt ex
urbe, flammâ & ferro suis viam facturi. Video summos belli Duces,
interequitantes agmina, & non solum de urbe, sed etiam nominis
gloria certaturos. Ventum mox est ad præclium, in quo suis Papen-
heimius peditibus præibat, alterâ manu arma, alterâ fasciculum ligno-
rum gerentibus, quibus fossæ possent æquari. Seque batnt Equita-
tus, ut, qui tardius pugnaturi erant, a tergo quoque scirent inventum
iri hostes. Erumpitur ex urbe; clamor prælantium, gemitus mori-
entium, ejulatus vulnerorum, tonitrua tormentorum, clangor tu-
barum horribili circumsonabant tumultu. Tandem cum non lignis,
sed cadaveribus suorum fossas castrorum & campos cerneret imple-
tos esse Papenheimius, nihilque prorsus promoveri posse, tristis &
gloriæ suæ superstes in castra redit, quæ postero die accensa ipsius dis-
cessum, Principis victoriam testabantur. Urbem tunc dediunt obsec-
si, & veniunt ad Crosium suum, qui hærebat in montibus; urbis a
Batavis expugnatæ testis in Brabantiam redditurus. Pos hæc in Hispa-
nas Provincias venit Ferdinandus Cardinalis, Philippi Hispanorum
Regis Frater, notabilis omni virtute, quæ Principem commendare
potest. Animosus juvenis insignem ac conserta tot bellicosissimorum
Suecorum robora tegentem ad Nordlingam fuderat exercitum.
Huic Principi fata illam contribuere voluerunt gloriam, ut sub ipsius
regimine a Præfecto Gelriæ Confœderati Belgii occuparetur pro-
pugnaculum, quod ab Autore suo Schenkio nomen invenit. Secu-
ritate hâc vice laboraverant Batavi, sufficiens tanto loco quod non
dedissent præsidium: sed potest in palæstra dormire Milo, in urbe otio-
sus esse Aristides, in lucta ipse cessare Hercules. Accepit nuntium hu-
jus jacturæ in Brabantia Auriacus Princeps, & indignatus aliquid recu-
perandum esse, cum omni exercitu ad incipientis Bataviæ insulæ an-

gulum

gulum properavit. Confedit in vicinis Rheno montibus Cardinalis , munitum illud servaturus : sed didicit hostes suos hyemem exigere posse in castris, neque cessare ipsos, antequam quod amiserint, in suam redigant potestatem. In vindictam Fredericus Bredam circumvenit, munitissimam urbem & militaris artis Gymnasium. Hanc incomparabile illud Imperatorum Par Mauricius atque Spinola ut suæ laudis elegerant materiam. Ille nobili stratageme navis tanquam eqni Trojani : Hic Virtuti diffisus fame eam expugnavit, cum anno diutius ad ipsius mœnia hæsisset. Noster Princeps intra tres menses non fame sed ferro & virtute viam sibi patefecit ad hæreditariam urbem. Ab illo tempore trepidare orsi Hispani Scaldem & Flandriæ fluvios continuis aut parum distantibus sepiebant munitis ; & si Principem urbi alicui imminere cernerent, illi ipsi eam suo cingebant exercitu ; ne circumdari posset. Fredericus statim Romanorum Fabius factus, cunctando fatigavit hostes aliquot annos. Sed quemadmodum animosi in certamine Olympico cursores cum metam viderent, concitatori ad gloriam, quam quisque sperabat, erumperent cursu ; ita Fredericus positam in Flandria belli intuitus metam, tandem ad illam penetravit ; pacem Christiano orbi datus. Volentem non fluvii, non munita , non effusæ hostium aries remorari poterant, quo minus invaderet murum Flandriæ, & fiducia Hispanæ arcem, quam Sassa nominant Gandavi. Intra paucas hebdomades ereptus est ille locus Præfecto suo venerabili Seni, spectantibus Iberis, qui novos struebant aggeres, novos fodiebant fluvios , nova ædificabant munita, quibus cursum sisterent Batavorum. Sed frustra sumebant operam suam , & mirum est, quod fluviis & fossis terrere illos vellent, quos scirent tot maria transiisse. Quid multa dicam Auditores ? Festinabo cum Principe , qui velocitate hostes non minus , quam armis superavit. Intra paucos dies ultra triginta sunt subacta munita , inter quæ illud, cui Spinola nomen dedit, acerrimè defensum est, prorsus ac si tanti viri manes pro nominis contendere vellent splendore. Ultimam victoriarum lusum claudere debuit Hulsta, cui Henninius præerat, Generosus miles, omnia quæ excogitari possunt pro Rege suo molitus. Memorabilis urbs saepius a se averterat Principem ; & paucos ante annos ad illam conciderat

derat paternæ & virtutis & mortis æmulus Henricus Casimirus. Ver-
gebat ad hyemem autumnus , & si pluit, agros circa hanc urbem lu-
bricos nemo insistere potest. Sed Principis conatus nunquam desti-
tuit cœlum , quod tunc serenitate continua probavit, fata huic Prin-
cipi impeudi omnia. Inter quatuor hebdomades incredibili vi & ar-
dore, urbs ad deditioñem, Flandria ad solvendum tributum, Hispania
ad vera, & non simulata cogebatur consilia pacis. Hæc sunt quæ ter-
rā, & in nostro mundo acta sunt Auditores. Cæterum cum illa cogito,
quæ, eo Principe, aut ipsius ductu aut consilio mari patraverunt Batavi , incognita maria , innumeri fluvii , vasta Oceani facies, & alter
mundus hic ante oculos meos versantur. Diu Princeps orbis popu-
lus Tyberim sui imperii limitem habuit, sub Regibus pauper de pro-
ferendo urbis pomero cogitavit, & in Italia latuit, cum exiguis gen-
tibus colluctatus, donec tandem, adolescente post secula imperio, in
Syria surgenti, Occidenti in Hispania occurseret Soli. Batavi sub in-
cunabulis nascentis Reipublicæ non cum Samnitibus, Latinis, Etru-
scis, Faliscis, Æquis, Volscis, Saletinis, Dicens ac Fidenatibus parvi
nominis populis, sed cum potentissimo Orbis Rege bellum suscipere
orsi, non suis se incluerunt limitibus, sed in Europa Scyllam & Chary-
bdim, Phæacum sedem ac Cyclopū, flabellum spiritus Poëtici Ænam,
Gades Hispanorum, Græcorum Hellespontum prætervecti, incognitas
adierunt terras , & suis classibus , quicquid extra Solem & Lunam ,
quicquid extra sydera jacet, perlustrarunt. Illi nominis celebritatem
non solum, sed arma & colonias ad illa deduxerunt loca , ubi, ne di-
cam Tarpeius Iupiter, & septem illi montes , & Capitolium , ex quo
tot gentes leges accipiebant, sed ipsum nomen populi Romani , imo
nomen nostri orbis fuerunt incognita. Admiratur Polybius classes,
crebram jacturam , horrenda in mari prælia , quibus de Sicilia con-
tendebatur inter Romanos & Carthaginenses. Sed non admirabi-
mur antiqua, si cogitationes conferimus ad illa prælia, quæ, hoc Prin-
cipe res administrante, mari commissa sunt. Gloriari non fabulis,
sed rei veritate Batavia potest, quod Argonautas & Iasonem suum ha-
buerit Petrum Heinium, qui post inumeros casus, & pulcherrimas
victorias, non lascivis Medeæ cuiusdam amoribus , incantationibus,
& parricidiis, sed virtute expugnatum vellus aureum Hispanorum in

con-

confœderatas transtulit Provincias. Nemiinem mari Batavis superiorem esse, ille vir docuit, qui moriens etiam ab hostibus suis triumphavit. Neque hic prætermittere possum tonitru illud & fulmen Oceani, Flandriæ & Hispaniæ terrorem Martinum Trompium, cuius stupenda facinora nulla tacebit posteritas. Ille est, qui sub prædatricis Duynkerkæ oculis classes profligavit hostiles. Ille est, qui magnam & ipsi Oceano gravem Hispanorum classem septendecim adortus navibus, Europam in sui convertit venerationem. Orem admirabilem! Orem omni humana cogitatione sublimiorem! duodecim millia virorum, sexaginta naves, & inter illas non naves, sed castella & turres omni tormentorum genere horribiles Hispanus Ocquendo vehebat. Tantam classem septendecim navibus Trompius coëgit Auditores, ut ad Angliam configureret, ut Angliam, sequente illo, contractis velis & aplustribus salutaret. Tum vero omnibus nationibus documenta dedit foederata Respublica, quantum ipsa posset, cum intra tres hebdomades ultra centum armarentur navigia, quæ nunc tribus nunc quatuor conjunctis confluebant ad Trompium, ut Hispani crederent, quod cœlum plueret naves. Vedit Anglia illo tempore stantes ad anchoram tres maximas classes, suam, Hispanam, atque Batavam. Et acceptis ab Ordinibus & Principe mandatis, Trompius sub Regis castellis hostes suos invadere cœpit, & illam classem, quā septendecim antea fugaverat, facile centum navibus submersit, cepit, disjecit, cremavit. Quoties ille suis navibus Flandriam cinxit, non opus est, quod referam, cum ipse Christianissimus Rex multum ipsi debeat, quod firmissimas Flandriæ urbs in sua habeat potestate. Quid nunc de India Orientali, aut Occidentali dicam? In illa vieti hostes nihil possunt, & Reges ad Batavorum transeunt foedera. Advehuntur Aromata, Serica, gemmæ & Regii Thesauri, quibus dū singuli ditescunt, universa locupletatur Respublica. In hac multæ pugnæ, multæ classes vires & potentiam Belgii extendere non desinunt. Cujus splendorem, Principis Auriaci gloriam, & sempiternam suarum virtutū memoriam inter horridas, & barbaris moribus squallidas gentes propagavit Mauricius Nassovius, peritissimus belli Dux, qui nunc ex illo orbe reversus, maximo, & triumphis suis conveniente defungitur honore. Tantis, & tam prosperis eventibus usus est foras Fredericus: sed raro iuveni-

untur Principes, quos simul & fotas & domi comitatur felicitas. Cum Augustus Principis nomine fessam civilibus bellis Romam regeret, suis legibus in subjectas detonaret gentes, Iani templum clauderet, Pater Patriæ appellaretur, domi habuit ipse, & Reipublicæ dedit foedas calamitates. Nostrum Principem felicitas non solum foras, sed etiam domi amplexa est, prorsis ac si uni Principi in terris nato ad augendam Rempublicam fata impenderentur omnia. Stabat nunc Batavia firmissimis urbibus inclusa, fluviis & mari adversus hostes tuta, sed extra muros suos inter vicinos & amicos nova munimenta foederibus & affinitatibus quærebat. Itaque illis charissima pignora domus, quæ Illustrissima thori socia Amelia dederat, optimus Princeps impendit. Ad Occidentem Respublica in mari vicinam Angliam habet, ad quam affinitate transivit Filius Guilielmus, vera Patris imago, & nunc in ipsius potentiam non solum, sed & Virtutes Successor. Qui dum Serenissimi Regis Primogenitam ducit dum dextram in ipsius inserit manum, sub his manibus Anglia & Batava Respublica mansura in foedera eoëunt; & Oceanus ille, qui Reginam Insularum suis spumis circumlambit, his duobus Imperiis obsequium jurat ad æternitatem. Ab Oriente limites Reip. terminat Cliviæ Ducatus, cuius Princeps est Serenissimus Elector Fredericus Guilielmus, Columna Imperii Romani, & omnium virtutum Heroicarum Compendium. Cui per omnem Germaniam ad sinum usque maris Balthici spatiösæ regiones, fertiles agri, & celeberrimi famulantur amnes. Huic data est primogenita Filia Loysa, quæ nunc tantum Principem Natali solo obstringit, ut non minus illud amplectatur, quam Pater Rhenus, qui Cliviæ præter lapsus agros, inventuri hujus matrimonii præludium dissecare suas aquas voluit, & duobus brachiis incingere terram Batavorum. Tertiam facit viciniæ partem ab Oriente paululum ad Septentrionem Comitatus Frisiæ Orientalis: cuius Comitis filio magni Patris Haeredi in matrimonium promissa est minima natu: quæ in tenerima ætate, cum nondum sponsæ nomen sciret, sponsa Reip. causa facta, nunc ad vota explenda annorum expectat matritatem. Inter hos vicinos suos & amicos pulcherrima Respublica tanquam Tellus mater, quam Cybelen vocant, e gremio maris capit in omnes mundi angulos extollit. Et hæc magna merita, celcissi-

mæ actiones, innumeri triumphi Principis animum nunquam extulerunt ad fastum. Sed ipse virtutibus suis munitus, bellum vitiis nō minus, quam hostibus indixerat suis. Audiant hoc Europæ Magnates, audiant hoc Reip. hostes, audiat hoc Hispanus, audiat hoc ipsa invidia, Frederici Henrici virtutes nullo libatas fuisse unquam Vitiorum confinio. Suavissimam Cyri institutionem scripsit Xenophon, in quâ non Cyrum, sed perfectum adumbrare voluit Principem. Et si quis ad hanc tabulam accedet, non tam Persarum Regis, quam Aurasiorum Principis vitam depictam esse cognoscet. Appellant Athenæ Aristidem Iustum, sed domi justitiam coluit, foras in illam sæpiissimè impegit. Temistoclem dormire volentem Milciadis excitaverunt trophæa, & ad illam impulerunt gloriam, ut sua fortitudine totius Græciae vindicaret libertatem. Sed ipse Patriâ extorris, & ad illos, quos cæciderat profugus, nominis sui celebritatem multis infuscavit maculis. Et illi Macedoniae Reges Philippus & Alexander non victoriis magis, quam vitiis utramque in Historia paginam faciunt. Quorum ille astutus ad scelera perjuriis non aliter quam tesseris aut alea se oblectavit: hic ambitione, quam non capiebat orbis, stolidus & crudelis, convivales fidissimorum amicorum sanguine mensas aspergit. Si me nunc ad illos converto, qui suas Secures & virgas ad Euphratem & Istrum impegerunt Regibus, non opus habeo, ut de Sylla aut Mario, de Pompejo Magno, aut illo Veneris punctione Cæsare dicam. Qui post egregias pro Patriâ partas victorias ad vastam prolapsi ambitionem, Romam & Italiam; duo ultimi autem Europam, Asiam, atque Africam crudelissimis furiis maestaverunt. Cæterum inter Fabios, Cursores, Corvinos, atque Volumnios, inter Cicerones atque Catones hoc observari posse assero, quod via adæquaverint virtutem. Gravissimus Orator Plinius in Trajano suo omnia divina esse existimat: sed non aliter judicare poterant tunc temporis Romani, qui post foedas, & omnibus malis squallidas Vitiorum tenebras orientem aliquarum virtutum solem in illo contemplabantur. In Frederico Henrico tanquam in delubro quodam & sancto Oraculo omnes habitaverunt Gratiae. Neque poterat a bonarum actionum tramite in scopulos incidere ille Princeps, qui ut omnia cum Deo, ita eadem quæ Deus egit. Orthodoxam quippe amplexus

plexus Religionem, summum rerum Moderatorem calidissima devo-
tione coluit; a quo & Victorias, & fata sciebat dependere omnia. Ita-
que quemadmodum domi concionibus & rebus divinis operam da-
bat, ita militiae sacris operatus, omnia, sive aliquid fecerat, sive fa-
cturus erat, ad supremum Numen referebat. Neque quicquam sine hu-
jus compellatione aut publicè aut privatum, ne in procinctu quidem,
aut inter ipsa arma ab eo gestum esse, satis liquidò constat. Sæpè publi-
co tympanorū pulsū capitalem pœnam militibus denunciavit, qui pe-
jerarent, aut Altissimi abuterentur nomine. Romani a Religiosissimo
Numa suo hoc didicerant, ut ante proelium cum jam utrimque ce-
cinissent signa, inhibito paulisper animi ardore, ad orientem conversi,
Deos poscerent Immortales, ut illa res & sibi & Patriæ esset saluti.
Batavi milites hoc ab Imperatore acceperant suo, ut conflicturi cum
hostibus, in mortis limite animos non ad Orientem, ad Iovem quen-
dam aut Martem, sed ad illum erigerent Deum, cuius sedes cœlum, &
cujus pedes terram tanquam suum insistunt scabellum. Stabant in
ordine egregii viri, & attendebant ad preces, quas divini verbi recita-
bant Præcones. Prius colligere poterant animum, quam effundere, pri-
us in arcem rationis recedere, quā se impetu prosternere, prius deniq;
de Deo, quam de sua cogitare libertate. In ejusmodi castris disciplina
facilè obtainere poterat militaris; cuius studiosissimus Princeps noster
fuit, in rapinas & scelera acerrimus vindicta, illisque inexorabilis, qui
homicidia patraverant, quibus debitas pœnas voluit infligi. Hostibus
æquè ac amicis servavit promissa, nunquam veneno aut fraude illos
circumvenit. Pravas simulationes cum Achille ut inferorum horruit
portas; satis gnarus, fraudes servis, ancillis, & sordidis vitiorum man-
cipiis in comædiis tribui, a magnis autem viris neminem tanti fieri,
cujus causa recederent ab æquo. Nunquam aliquis ex solidæ pruden-
tiæ officina politior prodiit, nunquam aliquis in Athenensium con-
ventibus, Lacedæmoniorum deliberationibus, Romanorum Senatu
graviora consilia dedit, quam ipse in curia illa, ex quā tanquam Tro-
phonii quodam antro oracula erumpunt, quæ mirabili fragore ani-
mos quatunt Hispanorum. Imperii arcana, penitiora belli consilia,
& cogitationes, quæ in hostium animis tanquam in adyto jacebant,
exquisitissimè ille scrutabatur. Aruspices quosdam fuisse memoria

pro-

proditum est, qui in exta accuratè in quirerent, partesque maxima cum cura intuerentur singulas, ut ex diligenti singularum contemplatione res prædicere possent futuras. Horum more & ritu fibras consiliorum abstrusas, & exta hostium singulatim inspexisse videtur Auriacus Princeps, ut ex illis venturos denuntiare posset eventus. Acitem instruere, castra locare, urbes includere, hostes circuire, fatigare, ex uno loco in alium trahere, mox adesse, mox peregrè abesse, suos conatus tegere nunguam melius didicerat Imperator. Vigilabat in castris, ad omnia intentus, ex cubias invisebat in vallo, & munitionibus si quid deerat, observabat. Parva sæpe manu speculabatur hostium castra, non confusus oculus alienis: locorum situm, amnium stagnorumque profunditates ac catadupas præcisè examinabat. Si quæ urbs obsessa erat, ad periculosisima loca venire quotidie non dubitavit; alacres & fortis laudare, in ignavos animadvertere solitus. Armis hostes frangere poterat, sed incredibili comitate obstringere amicos, singulari humanitate in omnes pronus, & ad Deum benefaciendo quam proximè accessurus. Subveniendo miseris, proemia dando meritis, fovendo eruditos, alimentando exules, nemini Principum concessit, quos habuit Christianus orbis. Duo pulcherrima cœli lumina, Sol interdiu super bonos & malos oritur, Luna innumeris stipata syderibus etiam stolida & venteri obedientia bruta suo dignatur lumine. Fontes per argenteos dispersi riyulos, dum vicinas herbas alunt, urticam quoque irrigant & quosvis sitientes sponte admittunt. Eodem modo ille aversatus neminem, indignos adjuvare voluit, ut plures juvarentur, neque aliquis sine solatio tristis discederet a vultu Imperatoris. Cibi parcus fuit, luxuriam omnem aspernatus; neque aliquid sordidius esse putavit, quam certare poculis. Formam Deus & natura dederant egregiam, staturam honestam, vultum lætum & clementiæ indicem, in quo radiantes oculi de divina & augusta illa parte, quam mentem nominamus, loquebantur. Genas decoras cani commendabant, qui non artificio, sed sponte in inferiori parte retorquebantur. Vestis non pretiosæ appetens erat, sed mundicie insignis; neque volebat ut in palla aurei rostris corruerent accipitres, aut gladium facta ex gemmis circumdaret vagina, ut effoematus ille Darius, qui purpurâ & auro triumphantis magis, quam dimi-

cantis more proelium inibat. Magnitudo animi non admittebat id, a quo tenuioris conditionis homines nullæ possunt prohibere leges. Quibus non indigeret hominum genus, si rationem ducem sequeremur. Non opus erat Cœcilia lege, cum in agro idem cultus, qui in urbe esset. Non Fannia, cum luxuriam nemo nosset. Non Oppia, cum aurum vix inveniret usum. Non Iulia cum rapa sufficerent Curio. Non Falcidia, cum virtutem quisque ex asse, neque præter eam quicquam ad hæredes pervenire vellet. Divinus ille animus, qui Principem nostrum habitabat, aliam quarebat gloriam, neque exteriori honorari poterat pompā. Sæpe prætervectus est florentissimas Bataviae urbes, ne oneri esset Civibus, qui ipsum suis humeris excipere cupiebant. Neque poterat persuaderi, ut post laudabiles victorias speciosos iniret triumphos; quorum superbia frangere poterat illos Romanos, quos alias non Asia, non Africa, non Pythus, non Mithridates, non Medorum fastus, non insolentia Persarum, nulla gens, nulla arma commovere poterant. Coelum & terram illi potius misceri volebant, quam non ingredi urbem illo curru, ex quo aurum & argentum, eburi ac conchylia, & quicquid pretio aut opere admirandū vietæ gentes habuissent, ostendere poterant. Foederati Exercitus Imperator sciebat, togas illas stellatas, armillas, coronas, effusos Quirites, fercula, & divitiarum pompas, gentes aut veras aut simulatas, insanas vulgi acclamationes, nihil aliud fuisse, quam inanes & pueriles apparatus. Alios ille & semper mansuros quarebat triumphos, quos impetravit, cum de se ipso semper triumpharet. Venationibus & aliis ad oblectamentum exercitiis modice utebatur, scenæ interdum ad fallendas curas studiosus, & spectator lusus ac chorearum, quas Principes & Magnates instruere solent. Sed quemadmodum Alphæus miscetur Arethusa, neque quicquam tamen assimilat; ita divinitati sua intentus animus, ex his jocis ad magna & seria redibat, nec virtutis immemor, nec sui. Si quid tamen temporis publicæ elargiebantur curæ, ad ædificandi se contulit studium. Exstruxit duo præsertim palatia Honslardickæ & Ryswyckæ: quæ pulcherrima operis facies, artificiosa murorum & tectorum junctura, speciosa vario marmore pavimenta, vivæ & spirantes picturæ, & quicquid artificii excogitari potest, mirabili decorant splendore. Ryswyckæ potissimum admirantur adve-

advenæ specum, fontem, antiquas imagines, expressos artifici manu
e marmore icones, conchas ex extremis mundi oris adiectas, & va-
riati coloris lapillos: quæ omnia non anxiâ, sed liberâ & soluta arte
in parietes inseruerunt artifices, & ita collimarunt, ut totum illud o-
pus structrici Dædali manu videatur esse elaboratum. Neque hic re-
quiescere poterat, qui rerum suarum quærebat æternitatem. Septem
miracula mundi, arcus, statuas, templa, porticus, basilicas, sepulchra,
columnas Herculis, & Trajani pontes exedit vetustas. Absumbtum
incendio Pompeji theatrum instauravit Tiberius, absolvit Caligula:
denuo ambustum refecit Claudio; vetustate confectum erexit Theo-
doricus. Hodie ne rudera tantæ, & tantis sumptibus erectæ struc-
turæ supersunt. Nihil stabile esse potest, nihil firmum aduersis interi-
tum, quod hominum posuit manus. Soli illi sapientiæ magistri, Præ-
ceptores veritatis, Regum & Principum conservatores libri ab interi-
tu se possunt vindicare. Eapropter studiosæ Iuventuti Celsissimus He-
ros Bredæ excitavit Academiam, in qua Flamines illi Musarum, & se-
culorum Sacerdotes Literatores trophæa Frederico Henrico struerent,
quæ neque incendia, neqne aquarum absumere poterit vastitas: quæ
nulla debilitabit vetustas, quæ eodem nitore & excellentiâ florebunt
in æternum. Quæ nunc sequuntur, tristia sunt, & meum animū anxiū
habent Auditores. Dederat serenam Christiano orbi coitrix pacis
spem Fredericus Henricus: cum ipse subito de alia militia, de alia &
æterna pace agere debuit. Invaserant ipsum in castris ultimis gravis-
simi dolores: & cum reverteretur ex illis, in læto illo, & inter jubentis
mulcentisque aciem consistente vultu contracta macies, & tremula
instantis mortis pallebant indicia. Languere bellatrices cœperunt
manus, agiles faceſſere pedes: & ille invictus ubique in sella ad publi-
ca voluit efferti negotia; imitaturus illum, qui stantes dicebat Imper-
ratores oportere mori, Languebat cum ipso Batavia; languo
nunc quoque ego; & cum moriente mea morietur oratio. Tende-
bant boni cives manus ad cœlum, precati, ut ille Deus, qui Solem de-
cem à ſuo cursu retraxerat ſtadia, ægrotante Hiskia, nunc quoque
singulari clementiâ Principi meritissimo aliquod vitæ adderet supple-
mentum. Sed increvit morbus & illum defixit in lectum plena
Majestatis frons collapsa est; & generofos oculos tristitia occupavit.


Heu ferociæ Hispanæ domitor ! Heu Libertatis Batavæ Adsertor !
quo nunc tecum fugiemus ? Visne provocare ad prætoriam tuam co-
hortem , & invictum exercitum , in quo flos nobilis juventutis tuam
veneratus fortitudinem militat ? Ah inter armatos mors quoque fu-
rit Optime Princeps ! Visne provocare ad firmissimas , quas expugna-
sti , urbes , ad valla & tormenta , quæ hostibus incutiunt terrorem ? Ah
illa mortem non terrefacere possunt Optime Princeps ! Visne provo-
care ad validissimas naves , quibus vehitur per omnem Oceani lati-
tudinem Fortissima gens Batavorum ? Ah in mari fluctibus mors
quoque circumvolvit Optime Princeps ! Vis ne provocare ad
Reges consanguineos & Affines ; ad Reges Antipodes qui tua stu-
pent facinora ? Ah illi ipsi in nullo loco adversus mortem turi sunt
Optime Princeps ! Neque hæ profanæ cogitationes augustam illam
mentem incessere poterant , quæ me nunc transversum agunt . Nun-
quam timuit Fredericus mortem , qui sciebat vitam esse , non quæ in
hoc spiritu , aut mole , sed quæ in memoria posteritatis , in existi-
matione seculorum omnium ac temporum consistit . Virtute
vivitur , magnanimitate vivitur , ipsa morte vivitur , si quis magno
animo illam expectat . Hoc sciebant Heroës : hoc scivit fortissimus
Græcorum Achilles , ille Thedite prognatus , ille Hectoris ac Trojæ
eversor , qui cum Sors eligendi daretur , æternitatem nominis maluit
& brevem , quam longam & ingloriam vitam . Et quomodo ad
mortis cogitationes opstupesceri potuissest Auriacus Princeps , qui non
tam balista aut ariete portas urbium ac muros , quam solo mortis
contemptu perruperat ? Admiratur Græcia Epaminondam , quod
morti vicinus de Patriæ sollicitus esset statu : admirabitur posteritas
Fredericum , quod in fidiculis quasi naruræ positus Patribus & Filio
Patriæ commendaret salutem . Publicis & privatis salutationibus de-
functus , ad ultimum se comparavit proelium , in quo non tormentis
aut sclopetis ; sed precibus , & firmâ in Christum fiduciâ tertium cœlū
sciebat expugnari . Latiorem cogitabat victoriam , quam unquam
antea tulerat ; nam quæ ille & Romani viceunt , puncti instar sunt ,
quæ Alexander subegit , si cœlum intuemur , vix quærendo possunt in
veniri . Decemcirculator Ulysses in exigua mundi parte & propè
nulla jaçtatus , si cum toto , quod Fredericus nunc meditabatur , con-
feri-

ferimus, vix unius horæ iter confecit. Aderant Ecclesiæ Ministri, qui hæc cogitantem animabant: inter quorum sermones & solatia animus inter æternorum orbium concursus Syderumque, e quibus oriundus erat, iterum errabat. Priusquam homo esse desiit, immortalis fiebat, priusquam e terris abiit, cum Deo versabatur. Talis animi exitus difficilis esse non poterat. Quemadmodum fulgur nubem siccum facile perrumpit, exhalatio humida cum lenta & caliginosa diu contendit; ita inculpatus animus e puro corpore haud invitus abit, sceleribus contaminatus tardè & graviter eluctatur. Decimus quartus Martii funestus ille dies fuit, quo cum oriente Sole, Sol Bataviae occidit. Viginti duos annos pubicis rebus ex Patrum decreto præfuit, eo successu, ut ad ipsum tanquam ad terræ centrum & ipsam immortalitatis officinam se converteret mortalium genus. Maximi Reges & Imperatores ipsi favebant: solus illum timuit Iberus. Heu jaces nunc Auguste Princeps! Heu jaces in tuorum conspectu: sed in cœlo de toto mundo triumphas. Non Feretrio cuiquam Iovi aut Capitolino, sed Deorum Deo, qui cœlum architectus est, & terram suo librat pondere, laureas, quas hic adeptus es, offers. Non maria, montes aut Sylvas, non Rhenum, Mosam, aut Scaldem, non expugnatas urbes, sed civitatem Dei intueris, in qua millia & milia Angelorum, in qua Reges & Principes boni & tui similes, in qua Pater Guilielmus & Frater Mauricius, in qua omnes Sancti gaudia percipiunt, quorum suavitas nunquam est intermoritura. Interea magnifica pompâ effertur funus, & capit Delphis ossa tumulus Patris & Fratris; ubi imposterum ad trium Heroum manes contremiscet orbis advena. Recrudescunt in exequiis tristitia vulnera, & universa Respublica stat attonita mærore. Tumulum ipsius & exequias non Delphis solum, sed ubique videre possumus. Tristitiam in Patribus, tristitiam in Nassovia Domo, tristitiam in Regibus, & Principibus, in civitate, in milite, in curia, in templis, in prætoria navi, quæ ipsum ad hostes evehere solebat, in flaviis, quorum Najades ipsius circumnatabant classes, animadverto. Verum enimvero ut Orationi meæ finem imponam, solatiis omnes erigit Filius Principis Guilielmus, in quo Patris, Patrui, & Avi concaluisse sanguis videtur. Tu es Celissime Princeps, qui sub Patris imperio patriis assuefactus virtuti-

bus, fortitudinis dedisti documenta. Tu nunc fasces capessis & ut
alter Ascanius in magni Aenææ locum succidis. Si dubitat Hispanus
contrahere pacem, absolvere quod Pater coepit, & cogere illum,
tuum est Celsis sime Princeps. Si feralis illa ambitio nondum gra-
dum sistere potest, radicitus evellere illam, tuum est Celsissime Prin-
ceps. Si saniora consilia pati possunt Iberi, si pax reddit in orbem, pa-
ce tam magnus esse, quam Divus Parens bello fuit, tuum est Celsissi-
me Princeps. Et ut omnia. quæ ad incomparabilem Principem spe-
stant, tua sint, conciliator Dei & hominum Iesus duit! Quem
armatis, qui nihil aliud possumus, invademus preci-
bus, & quicquid gratiæ ab eo expugnabimus, tuum
faciemus ad omnem æternitatem.

F I N I S.

a. 2271 8



2003x4